



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

XL. De stupro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

secunda utitur æquocatione, & jurat non rogare, ut peccet; item quando juramentum iuratur a superiore: sed in re facili, diutius hære, ut peccetum non esset.

CAPUT XXXIX.

De Promissione.

Petrus docet, promissa non obligare, quando debet voluntas se obligandi, & raro accidere, ut promissum hanc voluntatem habeat, nisi eam patet instrumentum, vel iurejurando firmetur.

RESPONDETUR.

Vtem objectioni fiat satis, duæ difficultates explicandæ sunt, altera facti, altera juris; quod ad promissum attinet, multi Theologi dicunt eos, qui promissum non habere ut plurimum intentionem abfolvendi se obligandi sub poena peccati, ad præstandam homini facta, quando scilicet nullum patet instrumentum, nullum juramentum, nullum instrumentum, nulla expressa formula gravem obligationem imponere, sed est mera & vulgaris promissio gratuita, & solum eos velle id facere, modo commode possint, aut aliqua non subeat ratio, quæ mutare cogit voluntatem; cum autem questio facti sit, dubium non est, quin multum hoc loco experientia valeat; quæritur, quæque sibi conscius est, si animum suum ad aliquid simpliciter promittit, sine juramento, & quod penitus introspectat: quod si doctorem patet standum est; Emmanuel Sæverus promissio, non habentem fati fuisse, præter solitum, explicat de delictis; multi alii idem sentiunt, ut Molina disp. 18. c. 8. Lugo disp. 23. sect. 6. Lessius c. 18. dub. 8. n. 1. Sanch. l. 1. disp. 1. n. 21. Butenbaum l. 3. tr. 5. c. 3. dub. 2. Ciceron. 2. 4. 13. art. 1. dub. 4. Meratius tom. 2. tr. de iust. disp. 19. sect. 10. Diana part. 3. tract. 4. miscell. resol. 11. Sanch. citatus, multos pro hac citat, Armil. Sor. Pen. Ledesma. Henric. & c. Wadingus tr. de contract. disp. 1. n. 1. nemo igitur neget, hanc sententiam probabilem esse, cui suffragatur experientia, cum selecto Doctorem manipulo; eos scilicet, qui promittunt dicto modo, non habere intentionem obligandi se summi iure, & ex iustitia; imò nec absolute obligare se velle, solum ut plurimum, sed conditionate; id est, aliquo aliqua iusta ratio mutare voluntatem non penitet.

Altera pars, quæ continet questionem juris, paulo difficilior est, ac proinde Theologos in duas opinionis dividit: enim verò queritur, utrum is, qui promissum facit promissis teneatur, si dum promittit, carere voluntate se obligandi: nonnulli negant, fieri potest, ut is, qui promittit, & vult promittere, non, se obliget; ita Sotus, Petr. Ledesma, Ludovic. Lopez, & c. Manuel, Arragon Gutierrez, quos citat Sanch. de matrim. disp. 9. n. 4; ratio est, quia obligatio est effectus, qui necessitate ex promissione sequitur; igitur aliquis revera promittit, se obligat; alii numero promissum contrarium tenent; quia obligatio voluntate promittentis nascitur; igitur si non habeat voluntatem se obligandi, nulla nascitur obligatio; quemadmodum legislator non obligat subditos, nisi habeat intentionem illos obligandi: ita Sanch. citatus n. 5. ubi Henric. Sylvester, Richard. D. Bonavent. D. Anton. Palacios, Sed meo iudicio hæc disputatio est inane: nam auctores primæ sententiæ volunt, ut qui non vult se obligare, non promittere verè, ac proinde non teneatur; alii verò sentent, verè promittere, & tunc questionem de nomine; sic disputatur inter Theologos, utrum legislator veram legem faciat,

quando non habet intentionem obligandi subditos; aliqui volunt, veram esse legem; alii negant, esse veram legem sed regulam, vel constitutionem: ecce disputationem de nomine; questio igitur est, utrum inter homines pactio quædam fiat, promissionis nomine, vi cuius, is, qui promittit, obligetur, non ex iustitia, sed ex urbanitate, ac decori honestique ratione: hanc questionem, ut breviter expediam, dico, promissiones merè gratuitas, esse ejusmodi, saltè at plurimum; ac proinde non obligare in rigore; sed, ut dixi, ex mera decoratione; idque non absolute, sed conditionate; quis enim amabo neget, talem pactioem fieri posse; sic autem homines ita vulgò promissionis nomen usurpant, & hæc est sententia auctorum, qui pro secunda opinione supra citati fuerunt: si autem onerosa sit promissio, & promissarium ad aliquid obliget, aut damnum aliquod is patiat, eò quod promissor non stet promissis; vel interveniat juramentum aut formula, quæ strictam & gravem obligationem expresse importet, tunc promissio gravem affert obligationem; sic qui Virginem corrumpit, cum promissione futuri matrimonii, tenetur eam ducere, licet abfuerit voluntas eam ducendi, ut docet Sanch. disp. 1. n. 2. & si alter contrahentium consensum interiore non ponit, peccat moraliter, etiamque præstare tenetur ut probat idem Sanch. disp. 2. n. 4. sed hæc tractatio latius patet, & diuturniore otio indiget: ex dictis quisque satis intelliget, à Casuistis fraudes non probari, nec illos favere is, qui promissis non stant, nisi tantum in iis casibus, in quibus vulgò & passim creditur, eos non teneri, ex iustitia scilicet, & sub poena peccati mortalis.

CAPUT XL.

De Stupro.

VIRGINI ita jus & arbitrium prostituendi corporis, invitis parentibus, permittunt, ut is, qui eam ultro consentientem corripuit, contra iustitiam peccare minime censendus sit.

RESPONDETUR.

Fateor ultro aliquos ex nostris hoc docere: ita, ut virgo turpi corporis prostitutione graviter quidem peccet, nullam tamen Parentibus injuriā faciat; nisi forte aliqua inde infamiae nota familiæ inuratur, aut certe aliud detrimentum iis accida; ac proinde illam non teneri hanc circumstantiam suo confessario explicare: hoc expresse tradunt, Petrus Navar. l. 2. de restit. c. 3. Bannez 2. 2. q. 62. a. 2. dub. 7. concl. 1. Soto in 4. d. 18. q. 2. a. 4. Graffius lib. 2. cap. 79. n. 13. Megal. 1. par. lib. 5. c. 11. n. 1. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 14. n. 1. Valq. opusc. de restit. c. 3. §. 1. dub. 1. n. 6. Less. l. 2. c. 1. dub. 1. Butenbaum l. 3. tr. 4. c. 2. dub. 2. Conink de sacram. tom. 2. disp. 7. dub. 4. n. 19. Diana 1. par. tr. 17. ref. 12. ubi multos citat, Lugo de penit. disp. 16. n. 200. Petr. Ledesma in sum. tom. 1. c. 16. de penit. dub. 5. Corrad. in resp. cas. 1. par. q. 47. in addit. Leander tom. de penit. tr. 5. disp. 8. q. 17. §. 2. ad de Trullenc. & Molfes. D. Antonin. à Diana citatos, item Tamburin. in method. confess. l. 2. c. 7. §. 8. ad de Suar. & Tanner. citatos à Lugo, qui hac ratione nituntur, quod virginitatis dominium ad puellam pertineat, non ad ejus parentes; unde sequitur, non esse necessarium exponendam illam circumstantiam in confessione, cum stuprum ex sententia illorum, sit quædam iniustitiæ species, quæ non committitur, nisi quando puella vi corrumpitur; quod dico præcisè, propter usum corporis: cum alioqui iudicio prudentum, satisfaciendum sit parentibus & familiæ, si quid scandali, damni, aut infamiae ex prædicta fornicatione nascatur.